

L. 7.19.

V 2  
818

11.

GEMINI SOLES  
*In Domo Principum,*  
Ad  
SPLENDOREM  
SAXONIÆ,  
SPEM POLONIÆ  
ADMIRATIONEM EUROPÆ FELICITER  
CONJUNCTI,  
ET  
REIPUBLICÆ POLONÆ  
Ab Equite suo  
remonstrati.

---

Dresden,  
Literis CRUSIANIS, Anno MDCCXXVIII.



GERMANIA  
SPLENDIDORVM  
SACRA  
SERMONICAE  
REPUBLICE POLONIE

AD EDITIONEM

Berolinensis

1710

FESTE CONSILIUM ANNO MDCCLXVII



## PRÆFATIO.

**D**iem Tibi dico splendidissimam o Polonia! in alieno quidem cœlo exortam, ita tamen magnam, ita propitiam, ut sese Tuo etiam ambitiosus inferat horizonti. Gemini hi soles quantum lucis expectationi nostræ attulerint, vix uno obtutu comprehendî potest. Ut tamen dicendi ordinem faciam, immortales debemus gratias AUGUSTO, cuius omni jubare serenior Majestas, non tantum solum nostrum illuminat, verum vicina etiam sidera hospitali humanitate in eam inclinat benevolentiam, ut placidissimos exinde influxus felicitati publicæ polliceri, sit expeditum.

Augu

*Augustissima hæc astrorum conjunctio, quæ Sceptro-  
rum vinculis & glorioso animorum nexu eluce scit,  
nihil ominosi Imperiis minatur: clementissima ni-  
mirum utriusq; Principis propensio in illud incum-  
bit studium, ut Europæ tranquillitas, Regnorum  
confidentia, & gentium utilitas, uno veluti concilie-  
tur aspectu. Occurrite itaq; fortunæ vestræ Cives,  
& capacissimis mentibus utriusq; sideris colligite  
influentias. Longè quidem a superstiose illa Ro-  
manorum religione degimus, bonis tamen avibus,  
gentilitias aquilas sequi non plegeat, quæ ad utri-  
usq; Solis intuitum volitantes, optatissimis prælu-  
dunt, auguriis, & pacis sibi invicem ramum, non ful-  
mina protendunt. Procul hinc invidarum gentium  
livor, umbras suspicionum non amplius obtende, ger-  
manæ sumus aquilæ, in eodem elemento iisdem ali-  
quando radiis enutritæ. Redire nunc ad commu-  
nem supremi Jovis sinum placuit, & novam ibidem  
diem fœderato splendore ausplicari, quæ hosti-  
bus nostris occasum, fortune vero Lechi-  
æ augem promittit æternam.*





## ARGUMENTUM.

**P**acato totius Europæ Statu, cum Jupiter cognatas  
sibigentes intestinis simultatibus agitari videret,  
convocato Deorum consilio, Concordiam in terras mittere in-  
tendit, sed cum illa officium abnuerit, SVADAM, persuasionis  
Deam, deputat, quæ non solum dissensiones feliciter com-  
posuit; Sed ipsos Regnorum Soles conjunxit cum suis  
aquilis, ex quarum concordi volatu optimum Polonicis re-  
bus augurium erigitur.

**S**Axonie Veneranda Domus, delecta Potentum  
Hospitio, Divisqvé Sacrum penetrale: Tu-  
rum  
Decisum est hodie pro Majestate Penatūm,  
Vastior est cœlo Vestri fortuna sereni,

B

Nempé

Nempe nec ipse polus, varios divisus in axes,  
Ferre duos poterit genuino sidere soles  
Augustâ tandem superum statione locandos.  
Major at ista Domus, quæ Regia facta duorum,  
Rite Monarcharum, gemino Tytane renidet,  
Miraturque diem multiplice sole coruscans;  
Ergo festivas præconcipe Musa camænas.  
*Phœbus* uterque jubet, qui lumine sparsum ameno,  
Fatidico replet præcordia nostra calore.  
Hæc ego scripturus, non Numina, vana vocabo,  
Sed Regum commune jubar, vultusque benignos  
Exorabo metro: nunquam dubitando quod inter  
Tot radios, facilis vati ridebit *Apollo*.

Viderat ætherea supremus *Jupiter* arce  
Consedit quidem bello cessante procellas,  
Quas dudum *Mavortis* atrox vindicta ciebat.  
Ast intestinis aliquid mansisse medullis,  
Unde suum sumant cædis fomenta calorem.  
Causa deest gladiis; nec se manifestat apertis  
Diffidiis animosa Ducum prætensio, verum  
Diffimulans proprium specie clemente dolorem.  
Suspicio, semperque novis occulta similitas  
Vulneribus sua tela parat. Videt ille, doletque,  
Quod non sincero cœat concordia mundo,

Pro.

Pronaque Regnum diffensio nutet in arma.  
Exarsit, voluitque micans vibrare tonitru,  
Sed nullum tunc fulmen erat, iam quippe feroce  
Illæ aquilæ, quæ tela Jovi jacienda ministrant,  
In se vertebant flamas discordibus alis.  
Viderat hoc cœlo magnus Pater, atque Deorum  
Consilium solemne vocat, iam roscida forte  
Iris in agnato patuit depicta colore.  
Conveniunt, cunctis properantia Numinis sphæris, Deorum Consiliū,  
Cum subito niveis concordia candida plumis,  
Ultima Divarum, terris expulsa dolosis,  
Intulit in medium languentia membra Senatum.  
Quam Deus adspiciens iusto mœrore dolentem  
Aggreditur, mulcetque truces sermonibus iras:  
Diva, cui laceri tandem custodia mundi  
A fatis concessa fuit, quæ sola cruenta  
Jurgia Regnum, studiis componis amicis,  
Aspice quantarum matura pericula rerum  
Immineant? iam bella strepunt, pacisque dolosæ  
Non diuturna quies in apertum provolat æstum.  
Divisit iam tela furor, manibusque paratis  
Tempus & educto prætextus quæritur ensi,  
Et nisi festinum præstes placata juvamen,  
Ultima speramus ruituræ funera gentis.

Rifit

Risit ad eloquium favissima *Diva* disertum,  
Et cunctos testata Deos, mandata recusat,  
Hoc prope dicendi se defendendo tenore.  
Sæpè mihi primum fuerat, parere tonantis  
Imperiis, vestriique simul fancita senatus  
Officio properante sequi, sed certa retardat  
Causa voluntatem, poterat quodcunque juvare,  
Impensum est, vanæ per munia nostra medelæ,  
In proprias animata necesse natura ferocit,  
Ad clades hunc fama movet peritura, sed illum  
Gloria *Mavortis* populi quæsita periclo  
Allicit, inquæ suo venatur vulnus honore,  
Illum *langvinei* rabies inimica caloris  
Sollicitat, vel vile lucrum, vel dira libido,  
Ac effundendi sitis importuna crux.

*Concordia justus dolor,*  
Vnde tot humanis concordia saucia technis,  
Ad coelum redditura meum, iam defero terras,  
Fataq; Regnorum gladiis peragenda relinquo.  
Dixit, & ingentem gestu testata rigorem,  
Obtivit, tumido velut implacabilis ore,  
Excepere Dii justissima vota silentes,  
Et nullum propé Numen erat, quod cernere terras  
Vellet, & incæptum belli sopire tumultum.  
Cumq; diu variis sonuisset curia dictis,

*Debutus*

Debuit extremas conquerirere Jupiter artes.

Est Dea, parva quidem, nec stirpe creata tumente,

Quam licet adstringit parcissima lingua modestam,

Imperiosa tamen sic est, ut sœpè valenti

Ipsa ferè peragat miracula plurima vultu.

Svada persvasio-  
nis Dea.

(Dicitur, eloqvio, persvasio blanda diserto.)

Hanc Pater elegit castâ de gente Dearum.,

Instruxitq; modis docilem felicibus, ut iam.

Conciliet trepidum mansuro fædere mundum.

Advolat & sensim placidis illabitur alis,

Hic, ubi sudabat, contendebatq; libenter

Pacificis studiis facundia nota Ministri.

O quam difficile est huic persuadere quietem!.

Qui numerans promptis lectissima castra maniplis,

Forsitan invitus longa se pace fatigat.,

Materiemq; suis dolet effluxisse triumphis.

Id tamen evenit; quod non potuere *Deastræ*,

Perficit humanæ pulcherrima gratia *Svadæ*.

Tu, quicunq; rei felicior author haberis,

Sivè Deus fueris, iam suscipe thuris odorem,

Sivè manes mortalis adhuc, ne despice laudes,

Quas tibi votivo fert integra carmine tellus.

Non peritura Tibi defacto fama manebit.,

Qui, belli pacisq; simul clarissimus arte,

C

Non

Non tantum populis das munera longa quietis,  
Verùm Regnantum duo sidera solus adunas.  
Ecce sub influxu placido, conjunctio tandem  
Facta Planetarum, gemino sociabilis igne,  
Tam fortunatis adspectibus advenit orbi  
*Saxonico, Lechia* & diem promittit eandem.

Vesper adest placidus, fulgore venustior omni,  
Splendidiorq; die, quando spectare cuivis  
Par illud tam grande liceat; nec noctis opacæ  
Horrorem, sed mane novum luxisse putares.  
Conveniunt plenis iam signa minora catervis,  
Mox perlonato coit integra curia cultu.  
Et Reges voluere quidem latuisse: sed illos  
Prodidit insigni species veneranda nitore.  
Hinc roseæ nubis posito velamine, flamas  
Insimul augusto facies communicat ore,  
Atq; pari seie Majestas luce salutat.  
Reges sub roseo  
amictu perso-  
nati.  
Sicut enim rubeo, dum Sol festinus ab ortu  
Consurgit, vitreisq; genas depingit in undis,  
Atq; repercutsum cernit super æquora vultum,  
Ipse suos radios contemplatur, adornat,  
Dilectumq; magis similis sibi reddit imago.  
Sic etiam nostri comtissima gratia *Phæbi*,

Dum

Dum fortasse videt germanum fidus oriri,  
Fulgurat, & proprias miratur in hospite dotes,  
Ostenditq; novum facies in utroq; decorem.  
Illum temperies genuini vivida *Martis*  
Excitat, at nostri clementia mitior astri,  
Pacatam pingit solita gravitate Senectam.  
Attamen ætatis benè combinata venustas  
Undiq; cognato velut ab blanditur in ore,  
Dumq; pares animos spectant, redamantq; vicissim,  
Hælerunt oculis se se quærentibus ambo.  
Postea conjunctis studiis in aperta ruentes  
Gaudia, contestim placidis amplexibus ornant,  
Confirmantq; fidem, quam perfecere remoti.  
O stupor! o rerum frons admiranda novarum!  
Temporibus redeunt *Saturnia* secla modernis.  
En Dominos, quos nulla dies sine fulmine sensit,  
Ipsaque nec meminit sine clade coisse vetustas,  
Nunc videt attonitus populorum plausus inermes,  
Jungere commissos simili pietate lacertos,  
Non arcent nunc tela vias ubicunq; patentes,  
Nec se difficilis cingente satellite munit  
Majestas, verum blandis comitata choreis,  
Et procul armorum tristi terrore relicto,  
Splendoris secura sui, secura fidelis

Sese mutuo re-  
cognoscunt, &  
amplectuntur,

Ho-

Hospitii ridet pariter clementia; proq;  
Corporis Augusti, sumit custode voluptam,  
Lætitiam, plausus, & nomina mille jocorum.

Quis non invideat tam grandia munera terræ  
*Saxonice*, quæ nunc reliquis felicior oris,  
Præbuit haud uni pulcherrima tecta Monarchæ.  
Conveniunt hic sœpè Dii melioribus astris,

Quatuor Reges  
in Saxonia  
hospites.  
Et veluti toto redeunt hic orbe coronæ,

AUGUSTI quærendo caput: Vix nempé recenti  
Lustra fluunt aliquot rerum memoranda recursu,  
Sufficiens multis tam vastum clima Planetis,  
Sidera plura simul propria regione recepit.  
*Danicus* hic sese splendor cum Rege locavit,  
Et consanguineum depinxit murice cœlum.

Hic fuit exceptus gelidi ceu stella *Bootis*  
Ille PETRUS, qui mox clarus de Lumine Nostri  
Principis; Imperio nascenti fecerat ortum.  
Utq; nihil taceam, *Gothici* fax sœva Leonis,  
Tot regnis ferale jubar, dirusq; cometes,  
Hic quoq; Solstium, casura lucee, peregit.

Quartus ades *Phœbus* Domui GVLIELME Ducali,  
Primus honore tamen, nam gratior omnibus hospes.  
Perpetuam placidis pacem cum vultibus offers.  
Aspice *Saxoniam* visu clemente per omniem,

Atq;

Atq; vide quantum Regalis flamma sereni

Possit, ad arcendas tota regione tenebras.

Nuper ad amissæ tristissima vulnera Matris,

Curia funereo miserè squallebat amictu,

Unde feré dulces dilecta sede repulsa

Delitiæ, longoq; joci mærore filebant.

Vix tamen hoc oculis se comiter intulit astrum,

Diffugiunt nubes, veluti *Tytanis* ad ortum,

Et veluti frons suda poli, splendore venusto,

Omnibus abstergit madidos veniendo dolores.

Gaudia concurrunt pleno risura theatro,

Exilioq; suo rediit revocata voluptas.

Ast non cuncta placent oblectamenta, sed illa,

Quæ sapiunt aliquem bellum redolentis honorem.

Dum TIBI mansuro Regali splendida fastu

Aula pararetur, desertæ protinus ædi

Præfers ipse libens armamentaria; certè

Hæc est belligeri statio pulcherrima *Martis*.

Sed brevis hospes eras, privato quippe cubili

Forsitan invidit tantum fortuna decorum,

Ae alia TE sede locat: dum nempe quietas

In *Wackerbarthi* Rex quæreret ædibus umbras,

Orta domum cingunt subitis incendia flammis.

Dicite plura alii, certum est quod tecta laresq;

Tota Curia post  
fata Reginæ ob  
adventum Prin-  
cipis squalorem  
suum abiicit.

Rex Borussia in  
armamentario  
hosplitatur.

Casuale incen-  
dium.

D

Vicini

Vicini nimium præsentia folis adusserit.

Palutum Wa-  
ckebarho a Se-  
renissimo Au-  
gusto dono  
oblatum.

Sed nihil amisit, tali *Wackebar* in æstu:

Scilicet oblatam Regis translatus ad aulam,

Zodiacum nunc pro æde gerit, pro pegmate cœlum,

Quod sibi clementis dat prodiga dextra Tonantis,

Et sic emeriti civis rediviva fenectus;

Instar *Phœnicis* de munere duplicitis astri,

Lufus supra bi-  
bliothecam  
combustam.

Pulchrius ambustas videt eluxisse favillas.

Tristius illud erat Domino graviusqué; Supellex

Quod pariter subiit literaria grande periculum,

*Westphalicæ* siquidem primæva relatio Pacis

Bis denis digesta tomis, consumitur igne,

Et pereunt rerum monumenta perennia. Verùm

Damna nec ista doles, exemplar quippé futuræ

Historiæ, *Wackebar* habes in Principis ore,

Qui gestis reddendo suis memorabile Regnum,

Implebit propriæ Musæa volumine famæ,

Interea niveis fuerat permissa facultas

Blanditiis, ut TE recreent felicibus horis;

Dumq; voluptates certant, fudantq; vicissim,

Quæ TIBI splendidius referat spectacula pugnæ,

Prima puellari patuit gens pulchra labore,

Sangvinis egregii, nam quantumcunq; tenebat

Nobilitas antiqua, locum contendit in unum.

Corfus illustri-  
um Femina-  
rum.

Meta

Meta fuit variis circum distincta columnis,  
Quarum prima, rotam sphæræ pallentis habebat:  
Altera, fert clypeum jaculo volitante petendum:  
Tertia, dat pilis durissima scuta rotundis:  
Ultima, poma tulit gladio relegenda supino.  
Ut raucae sonuere tubæ, signumq; dederunt  
Cursibus, eximiae venientes ordine turmæ,  
Inter tinnitus streperos & vota faventum,  
Pennigero properant ad præmia facta volatu.  
Edidit insignem *Veneri* lux illa triumphum;  
Nam licet errarent fragiles plerumq; lacerti,  
Debilitate nocent, spectatoremq; lacescit  
Divarum formosa cohors: nam prælia fingens  
Nec cupidis oculis crudelis parcit *Amazon*,  
Non unus jaculum secreto corde recepit,  
Frænaq; vulneribus langvens auriga remisit.  
Tu tamen immotus steteras, gelidusq; videbas  
Mille juventutis strages ab amore patratas,  
Ipse, quod haud credo, *Veneri* mitissimus Heros,  
Fecisset *Mavors* simili deprensus in æstu.  
Spero tamen, tenero non succenseris amori,  
Quem TIBI dilecto certamine, sexus adornat.  
Et licet invisiæ *Cypridis* præludia spernis,  
Captus ab illiciis, & mollescente rigore,

Fæmi-

Fæmineis aliquid tribues Rex Magne trophæis.  
Quod si forté *TIBI* nimium sunt ludicra bella,  
Quæ ciet internis jaculis nocitura venustas.

Conflictus be-  
stiarum in am-  
phiteatro  
Dresdensi,  
Transfer ad alterius studium tua lumina pugnæ,  
Ac alios inquire jocos, ubi svavius istis

Illecebris præsens belli *TE* pascat imago.

Amphitheatra sonant odiis animata ferarum,  
Imperioq; *TUO* servant moritura cruento.

Primus in attonitam prodit Leo fulvus arenam,  
Erexitq; iubas; sed territus ore Deorum,

Cessit, ab ingrato tandem sine strage theatro.

Leo timidus &  
quare.

Crediderim *Gothicis* illum venisse cavernis,

Victoresq; suos iterum timuisse Leonem.

Postea, fulminei metuendus vulnera dentis,

Quærerit aper, toto cunctantia funera circu;

Et quodcumq; videt, morsu livente lacepsit;

Quem super ingentis sublatum cornua frontis

Ventilat, immixti tardissimus Urus in iactu.

Mox subit impatiens flagranti bile duellum

Urus a Sere-  
nissimo Borussia  
Rege interem-  
ptus.

Urus, & extrema se feritate volutat;

Dumq; gerit justo captum certamine porcum,

Atq; rebellantis toties se sanguine prædæ

Pascit, ab explosis configitur ignibus ursus,

Sic fera *Phœbeo* Regis prostrata lacerto,

Non

Non cecidit tandem sine quodam Lumine, nempe  
Accessit nova Itella polo, non simplicis ursae.  
Illud adhuc narrare libet, dum crastina summo  
Mane pararetur cupido Venatio Regi.  
Pallida subrepit secretæ Syngrapha mensæ,  
Quæ male sollicitis frustra concepta lituris,  
*I* fatale TIBI, vana ratione probabat.  
Dilaceras insigne malum, fatusq; fideli  
Hoſpitio, falsæ risisti somnia plumæ;  
(*Fact fortasse furens voluit dixisse propheta*)  
Sed Rex his tandem damnis animosior, uno  
Fata, simul vatisq; fidem, præcidit in iectu.  
Ingentem siquidem violenti dente timendum,  
Ante pedes misso prostravit fulmine porcum.  
*I* nunc fatidici vatis velana libido:  
Hic etenim Dominis ridet secura voluptas:  
Aut si dura aliquid Regnanti fata minantur,  
Evitare suum scit dextera docta periculum.  
Sed nimis immensus labor est, per cuncta vagari,  
Atq; fatigatam per singula ducere plumam,  
Nam deerunt fluiis undæ, floresq; roletis,  
Sideribus flammæ, foliis arbusta, priusquam  
Gaudia deficient, TE spectatore superba.  
Attamen hos inter plausus, quos splendida nobis

Cabalista qui-  
dam literas Se-  
renissimo Regi  
supponit, in qui-  
bus ipsi *I* ca-  
vendum prædi-  
cit, Rex Sche-  
dam dilucrat  
ia venatione ta-  
men portento-  
se magnitudi-  
nis aprim ante  
nedes suos in-  
terimit.

*Cursus equestris*  
vulgo Carusel.

Scena tulit per tot spectacula, nullibi puram.  
Sinceramq; magis credo risisse voluptam:  
Quam dum primævo Princeps redeunte calore,  
Vividus instaurat cursus certamen equestris.  
Non numerabo manus, nec brachia justa Virorum,  
Qui figunt niveæ certissima vulnera sphæræ.  
Nec narrabo diu quantum, fortassis anhelo,  
Pulchra Juventutis contentio sudet in æstu.  
Hoc etenim commune decas, mihi protinus omnes  
Occupat adspectus Domini currentis imago,  
In quo admi-  
randa Sereinissi-  
mi Auguſti dex-  
teritas eluceſcit.Qui veluti posito ſenii torpore gravantis,  
Ut ſenſit ionuſſe tubas, fulgore renidens  
Divino, facilesq; manu moderando lupatos,  
Abripit extremæ punctum revolubile metæ,  
Quodve magis stupeas ſpectator, talis in armis  
Gratia, tale viget nervoso corpore robur,  
Et validis viſ tanta fibris, ut debeat ultrò  
Erubuisse ſuos iectus, confusa Juventus  
Præmia cedendo; nam quantum vincitur ævo;  
Tantum alios vincit docilis Levitate lacerti.  
TE REX MAGNE, peto per gentis utrius amorem,  
Continua placidos cursus, nec fræna remitte,  
Immortalis equo nimirum ſeffor haberis.  
Vincebas alibi Princeps, & gloria credo

Sola

Sola TIBI fuerat testis plerumq; triumphi,  
Nunc plus lucis adest Phœbo, prælente, Tuusq;  
Luſus habet grandem pro ſpectatore Monarcham.

Hæc iam Saxonico properante dicta decori,  
Sufficiente valeantq; precor, sed Sarmata Vates,  
Quæ tandem referam Patriæ folatia mœſtæ.  
O AUGUSTE Potens! vultu decide benigno.  
Per dulces oculos ſiquidem, frontisq; leporem,  
Quo ſuperos etiam noſti mollire feveros,  
Speramus FRIDERICE Pater, non hoſtis abibit  
Sarmatiæ Princeps, qui tam multissimus hospes  
Saxoniam plaudæ mentis fulgore beavit.  
Id nobis pietas pridem promiferat. Et si  
Præſca ſuperſtitio plumis aviumq; volatu,  
Fata gubernabat Latiis sanctissima templis.  
Cur & ego non omen idem, meliusq; vetuſtis  
Augurium faciam populi ſolemne precatu:  
Dum video paribus coniunctas inſimul alis,  
Solis ad aspectum gemini pendere volucres,  
Jam dulci ſe luce cibant, poſitoq; tonitru,  
Concordes aquilæ pacem, non fulmina geſtant.  
Jam ſolem ſine nube vident, propriumq; vicissim  
Frondibus inſternunt nidum clementis olivæ.  
Jungite quod ſupererſt mansuro foedere plumas,  
Unius ſtirpis volucres ſumus, atq; Tonantis  
Unius pariter nos demulcentis alumnæ.  
Et licet opponat furias ſæviffimus iſtis  
Nexibus, ut ſatiēt noſtro ſe funere vultus,

Augurium Re-  
bus Polonicis e-  
reclum.

Ad fædus invi-  
tatio.

Itē

Ite perennantes in foedera jungite vires,  
 Nec curate, furens quid tandem sentiat orbis;  
 Si temel adstringet nos pax secura, fideli  
 Ingenio, pastumq; feret concordia; contra  
 Vicinos casus pennas, & fulmen habemus.

Hic oculos *Europa* tenet suspensa stupentes,  
 Hic ego deficio calamo langvente Poeta.  
 Ante tamen quam *Musa* cadet lassata, Deorum  
 His prætendo genis satiari, tæcula certé  
 Expectanda forent, ut sidera magna vicissim  
 Conveniant, Regumq; simul se lumina jungant  
 Concordi folio. Magni juvat ire per ora  
 Hospitis, & puram viu gustare voluptam.  
 Blandus uterq; Deum, vultu clemente modestos  
 Allicit aspectus, & sic incerta laborat,  
 In cuius Iese ferat admiratio partem.  
 Communi siquidem de Majestate serenos,  
 Nulla ferè poterit distingvere gloria vultus.  
 Principibus geminis, fortunâ Judice tantum,  
 Hoc dilcrimen inest: Hic *Jupiter*, Ille *Gradivus*,  
 Hic *Mars*, Ille *Tonans*, sed magnum sidus uterq;;



Vd  
818

H. 7. 19.



GEMINI SOLES  
*In Domo Principum,*  
Ad  
SPLENDOREM  
SAXONIAE,  
SPEM POLONIAE  
ADMIRATIONEM EUROPÆ FELICITER  
CONJUNCTI,  
ET  
REIPUBLICÆ POLONÆ  
Ab Equite suo  
remonstrati.

Dresden,  
Literis CRUSIANIS, Anno MDCCXXVIII.

